

CHRISTOPHORI CONRADI GOERIZII,
PHIL. ET S. THEOL. DOCT.
DISSERTATIO POLITICA,

De

SUBDITIS
AD RELIGIONEM
NON COGENDIS,

Olim

PRO RECEPTIONE IN FACULT.
PHILOSOPH.
IN ILLUSTR. AD PREGELAM ALBERTINA.

Publicæ disquisitioni exposita,

*Jam verò rogatu quamplurimorum secunda vice auctior
& correctior edita.*



ROSTOCHII,
Typis & impensis NICOLAI SCHWIGEROVII,
Ampliss. Senat. Typogr.

Anno CHRISTI M. DCCI.

4.

a. X. L. 60.

coll. diss. A
0, 60

VIRIS

*MAGNIFICIS, SUMME REVERENDIS atque EX-
CELLENTISS. DOMINIS,*

DN. JOHANNI. FECHTIO,

S. Theol. D. Consummatissimo, ejusdemq; in hâc Alma Prof.
Celeberr. Consistorii Ducal. Megapol. Assessori Graviss. &
Districtus Rostochiensis Superintendententi Vigilantissi-
mo, h. t. Decano Spectab.

PATRONO SUMME VENERANDO.

Ut &

DN. JOH. NIC. QVISTORPIO,

S. Theol. D. Ejusdemq; P. P. Meritiss. Pastori ad D. Nic. Vigi-
lantiss. Rev. Minist. Directori Gravissimo,

**DN. HOSPITI AC PATRONO PATRIS
instar Colendo.**



S. D.

Prodit Viri Summè Reverendi vestris sub nominibus
Dissertatio hæc politica olim Regiomonti habita, quam
verò adeò avidæ manus distraxerunt, ut vix aliqua
restare queat. Prodit verò jam auctior, quia auctior ho-
nore & eruditione vestro sub umbone ejusdem autor hic
degit. Quomodo enim eundem auctiorem reddideritis, pro-
lixa oratione commemorare supersedeo, ne malevolis
adulatorem egisse videar, res ipsa loquitur. Suscipite ergo
hoc quæcunque venerationis atque gratitudinis specimen,
eo favore, quo ejusdem autorem suscepistis. DEUS in Vos
respiciat oculo benigno, manu tueatur potenti, laboribus
in Ecclesiæ incrementum susceptis ulterius benedicat, vitam
prolonget, ut diu vivatis Ecclesiæ, Vestris & mihi

V. Magnif.

devoto Cultori

CHRISTOPH. CONR. GOERIZIO, D.

Cum DEO.

§. I.



Embrya Reipubl. connectendi arctissimum religio vinculum est. Ipsum nomen ejus hoc bonum omen fert, quod à religando deducatur à Lactantio Lib. 4. div. instit. cap. 28. & Isidoro Lib. 8. Origin. cap. 2. Optima enim gubernacula, quibus conservatur, augetur & propagatur imperium, duo præcipua sunt, religio scilicet atque justitia, quibus stantibus & imperium stare necesse est, & pariter cum labentibus labi, ut loquitur Scheurlus in defensor. Sacerdot. apud Pircheimer. fol. 359. Hinc religio Aristoteli ex eorum numero est, sine quibus civitas esse non potest Lib. 7. Polit. cap. 8. Bodinus licet aliàs in Politicis sæpiusculè hallucinetur, hic tamen sapere & aliis probis politicis applaudere voluit, asserens: religionem rerum omnium publicarum fundamentum esse firmissimum Lib. 4. de Republ. cap. 7. Hæc intuentes instructi Politici hoc arctissimum vinculum tanto magis undiquaque firmare tentarunt, quò tum ordo parentium tum imperantium tanto strictius coadunaretur.

§. II.

Sed spe sua excidere videntur, dum diversæ religiones vigent, quæ tamen inter se diversis castris pugnant, ita ut prorsus sint irreconciliabiles, quæ varias quoque Simultates, diffidia & contradictiones foveant. Hinc vincula pacis, in fomenta discordiarum transmutantur. Res ergo prorsus ardua & periculi plena est, in hac religionum diversitate inoffenso pede procedere & nihil quod præjudicio Principis aut etiam boni publici cedat præsumere. Quid ergo hic agendum? Numne cum Cruzenio putabimus omnem religionem plane esse tollendam? aut solum, reliquis ablatis, illam esse introducendam, quæ cujuslibet conscientiam consentaneam habeat, ut svadet, Edvardus Herbert de Cherbury? aut docebimus cum Bodino l. c. de religione semel recepta, nec publicè nec privatim disputandum esse, ne diversitas religionum officere possit? aut cuilibet quicquid placuerit credere permittemus cum Acontio Lib. 4. de Strat. Sat. p. 187. Absit ut cum his conspiremus.

§. III.

Cautè ergo hic procedendum. Si aliqua regio à diversitate religionum libera sit, & præ reliquis hoc habeat singulare, ut unica in ea vigeat religio,

religio, eandem servari debere, & ne alia immittantur, præcaveri proficuum esse censemus. Potissimum enim Principis interest, ut, non solum hanc unitatem omni studio conservet, sed etiam caveat ne alia dissentientes in Rempubl. & suum territorium aut palam irrumpant, aut clam sese insinuent. Ita in florentissimo Sveciæ Regno unica viget floretque religio Lutherana; hinc Regem omnem impendere operam, non solum ut illibatam servet, sed etiam aliarum irruptiones, omni studio avertat, scimus, quia ejus interesse hoc maximè efflagitare quibusdam videtur. Noxium enim est Principi, plerumque diversis religionibus ut sedem figant, permittere. Perniciosissimum est ut plurimum, ex consilio aliam religionem introducere: cum religionum mutationes plerumque maximam perniciem afferre soleant: Cons. Richterus in axiomat. Polit. p. 615. seqq. Solent enim ut plurimum efficere varios animorum motus, plerumque tamen in Principem contrarios & in ruinam regni pronos. Hinc litigia varia verbalia & realia: hinc verba in verbera, atramentum in armamentum, pennæ in bipennes mutari solent. Hæc autem quorsum spectent, Politici facile prospiciunt: scilicet ad hostium externorum excitationem, qui felices progressus ex intestinis suorum adversariorum bellis certissimè sibi pollicentur, quum paucissimos fore, qui vim refringere possint, prævideant. Ex quibus nihil tandem nisi perditionem atrahi Reipubl. colligitur.

§. IV.

Rem hanc tristi facto regnum Sveciæ (ut in eodem exemplo maneamus) comprobavit. Vigebat in eo hæcenus Lutherana religio, & imas fixerat radices; sed Rex Sigismundus, persuasionibus Francisci Malaspinae captus, Papalem religionem regno Sveciæ obtrudere conabatur. Ut templa in qualibet urbe totius regni Jesuitis aperirentur, & cultum suum ubique aperte habere permetterentur, Rex severè mandabat. Præterea vi templa Poloni effringebant, suos demortuos humabant & Malaspina publicè duodecim mendicis, è platea collectis, pedes lavabat, quibus deinceps ex civibus nullus eleemosynas erogabat; hinc omnes fame ferè peribant. Quid verò Sigismundus obtinuit? Odium statuum imperii, vehementes Clericorum disputationes, graves ad populum homilias, promiscuæ plebis velitationes, Papicularum expulsiones. Insuper Regis exercitus prosternebatur, præsidium rude donatum Poloniam transmittabatur, Carolus Princeps in Regem eligebatur, contra Sigismundum

cum

5

sum Moscovitis foedus pangebatur & Rex Sigismundus cum filio Vladislao regno Sveciæ privabatur, ut prolixius recenset Illustr. Pufendorfius in der Continuirten Einleitung zu der Historie der vornehmsten Reiche und Staaten in Eûropa à pag. 487. ad. 551. Hæc incommoda peperit diversæ religionis in Reipubl. ubi non viguit, introductio.

§. V.

In Regnum ergo, ubi una religio hæctenus florens semper permansit, aliis vero nullum habitaculum fuit concessum, sed sub Jove frigido pernoctare coactæ sunt, diversam religionem propter varia eaqve maxima incommoda non introducendam esse, res confecta videtur. Insuper unitas religionis Principi & Reipubl. maximam affert commoditatem: Arctius enim animos subditorum Principi unitas religionis quàm ejus pluralitas connectit. Id quod egregiè expressit Prudentius canens:

--- Sincera fides, simul & concordia, sacro
Foedere juratæ Christi sub amore Sorores
Conscendunt apicem ---
Quod Sapimus conjunctet amor, quod vivimus uno
Conspiret studio. Nil dissociabile firmum est.

In Psychom. v. 735. seqq. Hinc Constantini Imperatoris præcipua cura erat, ut unicam in suis Provinciis religionem conservaret: id quod ipse indicavit in Epistola quadam (quam nobis exhibet Eusebius Lib. 3. de vita Constant. fol. m. 891.) ita scribens: *Putavi, mihi ante omnia in id enitendum esse, ut in Ecclesia, fides una, felicissimi populi sincera charitas, & religio erga auctorem omnium DEUM nusquam discrepans observetur.* Id quod etiam quoadantenus obtinuit & exinde singularem charitatem & amorem populi Alexandrini sibi conciliavit, vid. Athanasius Tom. I. Opp. fol. 866. edit. Comel. Ex his ergo manifestum est interesse Principis quàm maxime, ut in illa Reipubl. ubi unica obtinet religio illam incorruptam conservet, neque facile alias irrepere & sedem acquirere permittat. Hæc ergo res in vado est.

§. VI.

Sed in eo adhuc maxima residet difficultas, quid Principi agere conveniat, si sit constitutus in illa Reipubl. ubi quàm plurimæ eaqve diversæ religiones fixam habent sedem & asseclas maximè conspicuos & numerosos. Ut in imperio Romano-Germanico tres religiones floren-

tissima oppida & urbes copiosas civibusque arctas occuparunt. Numne ergo Princeps talem ditionem possidens, aut subditos diversæ religioni addictos pellet, aut ad religionem coget, aut tandem libertate religionis concessa habitare permittet? Satius hic esse videtur ultimum amplecti & laudatissima gloriosorum Principum vestigia passibus æquis premere, eosque imitari, sub quorum regimine Reipubl. florens status & conservatus & ætus fuit, quo & similis felicitas eorum regimini & administrationi obveniat. In lucem prodeat Constantinus Imperator, qui qualis fuerit Princeps edocere poterit Theodoretus Lib. I. Hist. Eccles. cap. 17. Quum sub ejus laudabili regimine hæresis Ariana longè lateque se diffunderet, adeò ut totus orbis ingemuerit & se Arianum esse miratus fuerit, ut loquitur Hieronymus in Epistola contra Lucifer. fol. m. 65. Et ipse etiam Constantinus Arianis propensior fuisse putetur à quibusdam, subditos tamen ad religionem neque Arianam neque quamcunque aliam cogere voluit; Sed potius edictum publicavit, ne aliquis provinciæ præpositus coactionem ad religionem susciperet, ut testis est Eusebius Lib. 10. Hist. Eccles. cap. 5. Imo quamvis fuerint quidam Hæreticorum, qui ad seditiones propensi erant, neque illos tamen cogere voluit, ut refert idem Lib. I. de vita Constant. c. 45. Gregorius Nazianzenus Theodosii Imperatoris prudentiam versibus satis mundè atque graphicè factis descripsit, qui nullis Imperio metu atque vi suscipiendam esse religionem injunxit, sed cuius auream fidei libertatem reliquit:

Hæc ille, opinor cogitans, nulli gravem
Metum inferebat, leniter cunctosque trahens
Cujusque mentem liberam lege & sinens.

His jungo Theodoricum Gothorum Regem, qui olim dixit: *Se religionem imperare non posse, cum nemo cogatur, ut credat invitus*, sicut de eo testatur Cassiodorus Lib. 2. Epist. 27. Huic accedat Henr. IV. Galliarum Rex, qui dum Hugonottis permisit liberum religionis exercitium, id effecit, ut Rempubl. labentem fulciverit teste Thuano in præfatione operis Hist.

§. VII.

Hæc vestigia si Princeps relinquat, atque eorum exemplum sequatur, qui vi & armis unitatem Religionis obtinere satagunt multa incommoda sibi accelerabit, suum tamen scopum vix obtinebit. Conscribat copias, diversa à religione sua sentientibus dira minetur, equuleo immitat, eis igne & aqua interdicit & omne genus violenti molliatur, religionem tamen non coget, neque cogere poterit. Impossibile est enim volunta-

lunta-

luntatem cogi posse. Errat, scribit Seneca, si quis existimat, servitutem in totum hominem descendere. Pars melior ejus excepta est. Corpora obnoxia sunt & adscripta Dominis. Mens quidem sui juris, quæ adeo libera est & vaga, ut ne ab hoc quidem carcere cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo utatur, & ingentia agat & in infinitum comes cœlestibus exeat. Corpus itaque est, quod Domino fortuna tradidit. Ab hoc quicquid venit liberum est. Lib. 3. de benef. cap. 20. Frustraneus ergo erit taliusmodi Principis labor, etiam intimiora voluntatis tendens, quæ cogi non potest, nec alicui licet cogenti subdi, nisi ipsa velit & ultro servitutem eligat. Maximè hoc religionis proprium est, quæ in voluntate sibi domicilium, ubi recumbat, quærit. Nihil enim est tam voluntarium, quam religio: in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata jam nulla est, inquit Lactantius Libr. 5. Divin. Instit. cap. 20. p. m. 419. Et Justiniano Imperatori quondam Theobaldus Rex scripsit: Nos unam religionem non audemus imponere, retinemus enim legisse, voluntariè sacrificandum esse Domino, non cujusquam cogentis imperio apud Cassiodorum Lib. X. Epist. 26. Sicut ergo invita voluntas cogi non potest, ita nec religio cogenda, colligit Tholosanus Lib. 12. de Republ. c. 4.

§. VIII.

Præterea si in regno aliquo populus promiscuus coactus aliquam religionem susceperit, non tamen religio vi hominum mentibus illata, ibidem fixam sedem occupat sed data occasione emigrare cogitur, præprimis si fors obtulerit, injectam animo religionem excutere:

Nam quod coactus perque vim quisquam facit,

Nervis ut arcus vincitur & firma manu:

Aut cursus amnis, undique arctatus, statim

Datur ut facultas, pristinam vim despicit.

At sponte quod fit, durat in cunctos dies

Amoris ut quod vinculum stringat tenax.

canit Nazianz. l. c. Intuere Galliam, quam ut unus Rex ita et una religio gubernare debebat. Nihil intermissum quod huic negotio expediendo aptum videbatur. Res primum per cuniculos acta, deinceps palam erupit. Tempora occludebantur, ne diversæ religionis homines sacra sua peragere possent. Verum nec in his tantum subsistendum sed & coactionem adjiciendam esse proficuum censebatur. Nihil hic relictum quod ad demulcendos subditorum animos faceret: opes, honores & nescio quæ non libertatis blandimenta oblata sunt. Quicquid verò non captiosæ & dolosæ blanditiæ

ditia

8
ditia perficere poterant, illud vim externam dirasque minas efficere posse credebatur. Quaecumque saevitiae genus crudelitas militum excogitare poterat illud, in miseros illos afflictæque sortis homines adhibebatur. Sed num hoc vario studio unitas religionis in regno obtenta? quis crederet? Certè si noviter conversis ulla labendi rima aperitur, elabuntur, nec data occasione pristinam reassumere fidem intermittunt, ut prolixius hoc Heideggerus in Historia papatus docet, & quotidiana experientia comprobatur.

§. IX.

Extra Sphæram Politicam versatur persuasio ad religionem, quam proinde Princeps non transiliet, cum homo non DEUS sit. Dominium ejus, corporis circulo terminatur, ultra quod ut non procedit, ita conscientiae duos miseræ servitutis compedes haut impinget. Quod olim egregiè demonstravit Imperatori Valentiniano Ambrosius Mediolanensis Episcopus. Cum enim Imperator suavissimis Symmachi persuasionibus aures benevolas præbisset & cultum Idololatricum, aliis licet renitentibus ex orco in Ecclesiae Pomœria reducere allaboraret, ei ab Ambrosio hæc scribebantur: *Cum à Te, Imperator Christianissime fides, DEO vero sit exhibenda, cum ipsius sit fidei studium, cautio atque devotio; miror quomodo aliquibus in spem venerit, quod debeas aras Diis gentium tuo restaurare præcepto, ad usus quoque Sacrificiorum profanorum præbere sumptam ----- Nihil majus est religione nihil sublimius fide. Si civilis causa esset diversa parti responsio servaretur, causa religionis est, Episcopus convenio.* Epist. XXX. Valentinianus Senior, Valens & Gratianus, tres invictissimi Imperatores probè advertentes sibi nullum jus in conscientiam competere, nullamque religionem conscientiae obtrudi posse, in suis literis quidem ad Episcopos Asiaticos, fidem, quam in Nicæno Concilio Patres professi fuerant, & ipsis retinendam esse mandarunt, sed tamen hanc cautelam adjecerunt, ne quis putaret, Imperatores sibi jus, religionem conscientis præscribendi rapere. Verba hæc sunt: *Hanc (fidem Nicænam) prædicari Majestas nostra precipit; sic tamen ut non dicant aliqui, sequimur religionem Imperatoris hanc terram gubernantis, illum non attendentes, qui de salute mandata nobis dedit. Evangelii quippe DEI nostri vox est, quæ hanc habet sententiam: reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO.* Apud Theodoretum Lib. IV. Hist. Eccl. cap. 7. Nec minus memorabilis est Disputatio Episcoporum cum Constantio Imperatore de hac materia habita. Cum enim Constantius Imperator

9
rator Episcopis severe injungeret, & ex Imperatoria autoritate imperaret, ut omnes condemnationi publicæ Athanasii Episcopi Alexandrini subscriberent, omnes uno ore respondebant, *esse hoc contra canonem Ecclesiæ* contra Imperator excipiebat: *quod ego volo, pro canone fit*; sed ad hoc omnes Episcopi aptè regerebant, *regnum non ipsius esse, sed DEI*, prout recenset Athanasius in Epist. ad solit. vitam agent. Tom I. Oper. f. m. 831. Tria sibi servavit DEus; ex nihilo aliquid facere, scire futura & dominari velle conscientis, agebat olim Stephanus Batorius Poloniæ Rex. *Religio cultus ut est invisibilis & Spiritualis, ita nec visibilibus ac corporalibus suppositus esse potest injuriis, nec capax visibilis & externæ cujusdam defensionis*, scribit Hortled. in Disput. de Just. Bell. Germ. ass. 2.

S. X.

Conspectui etiam subditorum diversæ religionis proponantur varia eaque truculenta tormentorum genera, rigida immanium poenarum exactiones, furiales templorum destructiones, cruenti sacerdotum laniatus: terrorem quidem hæc omnia incutere affirmarem; coactionem autem & diversarum religionum exoptatam sublationem efficere, negarem. Quamvis enim subditi externè peragerent, quæ ad religionem Principis facere videntur, attamen intus & in cute iidem quales antea fuerunt, permanebunt. Hinc fons venenatissimus simulationum & dissimulationum perpetuis simultatum occultarum fluctibus stillans, scaturiet & fraude erunt omnia plena. Ubi enim turpissima tot hominum sublestæ fidei propudia inveniuntur, ibi etiam sub veræ amicitiae simulamine tam varia offendicula custodiuntur, ut eorum nebulam si perspexerit Princeps cui tuto credat, vix inveniet. Neque etiam periculis caret hæc simulatio juxta illud Ovidii.

Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen.

Tuta frequensque licet sit via, crimen habet;

Regum enim opes sæpius assentatio quam hostis evertit teste Curtio Libr. 8. de gestis Alexandri M. cap. 5. *Et nullæ sunt occultiores privatis insidiæ, quam hæc, quæ latent in simulatione officii* juxta Ciceronem Orat. 3 in Verr. Quod Plinius Lib. 31. Hist. natur. cap. 2. ita illustrat. *Periculosiores sunt fontes, qui limpidis aquis blandientes, oculis tamen perniciem afferunt: minus formidandi, qui ipsa specie testantur, aquas esse fugiendas: ita difficilius vitantur mala, quæ boni pretextu fallunt.* Omnia siquidem in Republ. simulatè adeoque fraudulentè à talibus simulatoribus peragentur. Si homagium præstandum, præstabunt, sed simulatè: si

B

aliquid

aliquid in Principis & Reipubl. emolumentum peragendum, peragent, sed tectâ infidelitate. Quid boni aut candoris ab his Princeps & Respubl. expectare posset? omnia tandem negotia Reipubl. cùm publica tùm privata in caducum inclinabunt parietem conf. Arnisæus Libr. 2. de Jure Majest. cap. 3. Obtingit illis simulatoribus unâ cum ingenuis (non enim corda perscrutari datum est) illud quod olim obtigisse Tiberio refert Tacitus Libr. I. Annal. ut in illis etiam rebus, in quibus nulla simulatio est, simulatio tamen subesse putetur. Omnia ergo in tali Republica incerta erunt, & Princeps, ubi pedem figat, ne in ipsis quidem sacris & juramentis inveniet.

§. XI.

Alia quoque mala sæpissime accersire solet hæc ad religionem coactio. Quum enim alii Principes, qui eandem religionem profitentur, hanc suam religionem in aliorum ditionibus opprimi audiunt, arma capiunt, regionem illam invadunt, infestant, devastant, urbes occupant, contrariæ religioni addictos ejiciunt, & suæ religionis colonias ducunt. Hinc Ilias malorum insuperabilis. Et quidem hisce temporibus imprimis hæc occasio belligerandi non prætermittitur, quo tanto splendidior & laudabilior prætensio obverti possit. Est hodiernum religio pileus omnium statuum capitibus aptissimus, quo imposito illaudabile alias desiderium belligerandi & ditiones amplificandi aptissimè tegitur; contra species sanctæ pietatis & religiosi Zeli omnium oculis commodissime sistitur: cum tamen nihilminus sæpe Princeps cogitet, quam propagationem religionis, sed ipsi potius sub pileo religionis bellicosum & insatiabile caput abdere placeat, consulantur Joh Lassenii arcana Politico Atheistica p. 99. Hinc fit, ut, hoc externo & satis Splendido schemate religionis superinducto, etiam illegitimo bello sacrum nomen imponatur, & ubique copiarum auxiliatrices acquirantur. Non autem facile defuturus est Princeps, qui hac exoptata occasione oblata non è vestigio bellum tali coactori denunciaret vid. Autor Anonymus des Usamodischen Politici p. 28. Hanc enim commodissimam belli occasionem esse arbitrantur. Ex veteribus hanc occasionem belligerandi optimam & successu felicem judicavit Philippus Macedoniae Rex, magnus magni Alexandri pater. Cum enim Phocenses duce Philomelo Apollinis Delphici delubrum diripuissent, Philippus, à Thebanis rogatus bellum Phocensibus, tanquam injuriam DEO illatam vindicaturus, denun-

denun-

11

denunciat. Imò quasi sacrilegii ultor esset, omnes milites laureis cingi iussit, atque ita veluti DEO Duce in prælium venit. Hanc occasionem religionem vindicandi neque eventus infelix elusit: nam Phocenses laurum insigne Apollinis conspicientes, conscientia delictorum territi, fugiendo terga obverterunt, poenasque violatæ religionis sanguine & cædibus suis pependerunt, Philippus autem hoc modo eorum Dominus factus est. *Incredibile, quantam ea res apud omnes nationes Philippo gloriam dedit*, inquit Justinus Lib. 8. cap. 2. Cum ergo Philippus sub specie religionis cum maximâ gloria & commodo hoc bellum finiret, alii hoc exemplo edocti hanc oblatam occasionem avidis manibus arripuerunt, de quibus recentiores politici testantur: hodiernis etiam temporibus Philippi sequaces & sub pallio vindicandæ religionis cubantes passim inveniuntur Principes, qui sub hoc tegmine religiosi prætextus latitare solent. Uti enim nunquam mundo defuturi sunt belli avidi & aliorum regionibus inhiantes; ita nunquam occasionem defendendi oppressam religionem suo proposito aptam prætervolare patientur. Quid vero ab his expectari posset aliud, quam urbium & regionum abalienationes?

§. XII.

Neque etiam desunt veri religionis suæ zelotes, qui religionem non pro umbra sub qua avidum belligerandi ingenium abscondere possint, habent, sed eam devotè exosculantur, tanquam omnis boni civilis fœcundam scaturiginem; hinc ne illa lapidibus aliunde obruatur, & ut limpida ubivis fluat avent. Hinc cum advertunt illam premi, obstrui & opprimi, arma capiunt ad defensionem & pro ejus incolumitate fervida bella ex sincero indicta animo, aggrediuntur. Unde enim illud diuturnum & satis funestum in Germania bellum? Certè exinde quia Dux Fridlandiæ & Comes Tilli subditos diversarum religionum non Apostolicè sed Pistolicè convertere studebant, ut loquitur Juniperus de Ancona in consult. p. 33. Hinc tot urbium desolationes, direptiones subditorum, exturbationes & integrarum regionum ab Imperio abreptiones. Plerumque ergo Princeps vi & armis unitatem religionis obtinere intendens habebit certissimum hostem, qui vel est putativus vel verus religionis suæ Zelotes, à quo ditionum suarum diminutiones, divastationes & contrariarum religionum introductiones expectabit: Adeoque cum suo damno experietur, neque sic religionem cogi posse.

B 2

§. XIII.

§. XIII.

A subditis ad religionem coactis paria Princeps expectet. Nam ut religionis sancta asservatio & inhibita violatio animos subditorum & Principis adamantino vinculo conjungit, amoremque subditorum conciliat, ita hujus vinculi divulsio affectum subditorum erga principem tollit. *Omnis humane societatis fundamentum convellit, qui religionem tollit aut ex animis hominum convellit* ait Plato 2. de Rep. Perit enim hoc modo apud subditos erga Principes confidentia, quæ Principi ad tuendam suam autoritatem & incolumitatem maximè necessaria est. Nam *frustra se terrore cinxerit Princeps, qui septus charitate non fuerit* inquit Plinius Secundus in paneg. Traj. p. m. 78. Subditi etenim dum se ad religionem cogi vident, truculenta animo versant, & sive palam, sive clam fiant, illi parum curant; hinc nullibi erit tutus Princeps qui de amore subditorum tutus non est. Nescit, an hoste regionem invadente subditi turmatim non accurrant, hostem confortent, ei viam sternant, propugnacula dedant, & in ipsos Principis milites læviant vid. Gramondus Lib. XI. Hist. Gall. p. 528. Oritur proinde apud subditos ex diffidentia odium, ex odio simulas, ex similitate seditio, ex seditione rebellio, ex rebellione clades, quæ, quamcunque partem feriant, tandem tamen Princeps damnum sentit: hinc ruina ipsius regni, lentè & per gradus appropinquat. Ita quum Duce de Alba sex illis annis, quibus Belgio præfuit octodecim millia hominum utriusque sexus clanculum & palam ob religionem furialibus carnificinis absumpsisset vid. Meteranus Lib. IX. Hist. Belg. f. 154. Residui catervatim ad arma provolarunt, externas copias auxiliatrices acquisiverunt, Hispanos clade affecerunt, alios Principes (quibus hæcenus florentissimum Hispaniæ regnum sudes in oculis fuerat) ad bellum Hispanis inferendum impulerunt: adeoque non solum jugum Hispanicum Belgæ adepta libertate excusserunt, verum etiam aliorum beneficio fulcra hujus regni adeo concusserunt, ut ne in hunc usque diem in pristinum floridi firmamenti statum redigi potuerit; sed quovis momento jam jam irreparabilem ruinam minetur.

§ XIV.

Duriora adhuc expertus est Valens Imperator, qui hæc violentâ ad religionem coactione non solum regnum, verum etiam proprium corpus perditioni subjecit. Erat ipse Arianismo addictissimus: nam & ab uxore ad eum blandissimis verbis invitatus & ab Eudoxio, cum baptizare-

tizare-

tizaretur jurejurando adstrictus fuit, teste Theodoretus Lib. 4. Hist. Eccles. cap. 11. & 12. Filium etiam Arianorum baptismo tingi voluit, recensente Socrate Lib. 4. Hist. Eccles. cap. 26. Cum itaque ipse Imperator fervidus fuerit Arianismi sectator, alios quoque tales esse voluit. Hinc qui tales esse nolebant, persecutione & modis violentis adigebantur. Unicam enim ille religionem Arianam in suo imperio quam rectam ac veram esse autumabat, tolerare, reliquis extirpatis intendebat. Omni ergo violentiæ genere suum propositum exsequi parabat. Dehortabatur eum Themistius, Constantinopolitanæ urbis præfectus his verbis: *quamvis sint variantes sententiæ de DEO apud Græcos, DEUM tamen tam diversa ac dispari opinionum ratione suam velle gloriam illustrare, quo singuli divinam majestatem magis vereantur, quod non sit proclive cuilibet, accuratè DEUM cognoscere* Socrates Lib. 3. cap. 27. Sed hæc prorsus contemptui habebat, in persecutione pergens. Ejus nimirum jussu nonnulli confessores Antiochiæ in Oronte flumine submersi sunt & presbyteri numero LXXX. ob religionis libertatem ei supplices, vivi cremati. Nec etiam integris Ecclesiis nempe Thracicis, Dacicis & Pannoniis pepercit, donec Lerna malorum in publicum prodiret. Exorta enim sunt ex hac religionis oppressione bella civilia & intestina, quæ imperii vires exhausserant, ut externo hosti debite resistere Imperator non posset. Quem exitum ergo, cum Gothica gens Valenti (ab ipso Arianismo infecta) bellum inferret, expectare quis posset? certè sinistrum & funestum. Valens enim favore subditorum non stipatus fugatur. Milites eum planè dereliquerant, hinc solus & nullibi tatus in tugurium sese recepit, in quo se ab insultibus hostium liberatum esse putabat. Sed inventus (an prodicione aut fortuitò incertum est) igne injecto misere periit. Vid. Theodoretus Lib. IV. Hist. Ecclesiast. Cap. 32. Socrates Lib. 4. Cap. 2. & 38.

§. XV.

Hæc mala secum portat violenta ad religionem coactio. Contra si Princeps diversitatem religionis ejusque libertatem subditis permittat, nulliusque conscientiam laqueis coactionis ad aliquam religionem adstringat, Reipublicæ florentem statum non obstante diversitate religionum promovere & promotum in summo splendore conspicuum reddere poterit. Quum enim Princeps dissentientes qui in sua Religione ejusmodi hypothesibus gaudent, quæ seditionum flabra esse possunt, certis legibus & oculata animadversione constrinxerit, ut nihil in rebus Politicis contra Majestatem Principis tentare possint:

sint: malum magni alicujus momenti aut quod non cito avetti possit, non habet Princeps quod metuat. Interim securitati Reipubl. nihil exinde decedit, sed tales tolerando vires acquirit & floret. Imperatores Romani, Ethnicismo addicti licet alias easque varias sub suo imperio religiones haberent, neminem tamen primis temporibus vi impulerunt, ut Diis Romanorum tutelaribus sacrificaret. Quamvis etiam Judæorum Domini fuerint, qui Paganismum odio ardentissimo prosequerentur, neque illos tamen vi ad Paganismum compellere voluerunt. Nam cum Hircanus & Aristobulus de Principatu inter Judæos disceptarent, Pompejus tanquam arbiter illum Hircano adjudicavit. Id autem ægré ferens Aristobolus urbem Hierosolymitanam armata manu cepit; factum ergo est ut Pompejus urbem exercitu obsideret, occuparet & jure belli retineret, hinc ex eo tempore Judæorum gens facta est Romanis vectigalis Euseb. Lib. I. Hist. Eccl. cap. 6. Quamvis itaque Romanis subjugatus fuerit populus Judaicus, nihilominus ei libertas religionis fuit concessa. Imò, quod mireris hæc potestas libertatis tanta fuit apud Judæos, ut alios populos hæc in parte antecesserint. Nam crimen olim erat civem Romanum interficere, sed hoc Judæis permissum erat, si Romanus eorum sacris nimium appropinquaret. Hanc potestatem singularem & libertatem religionis eximiam, ingrato animo à Judæis agnitam, eis olim exprobrabat Titus, ita eos affatus *Nonne vos, ô sceleratissimi, cancello sanctum locum protexistis? nonne literis Græcis & nostris incisas tabulas constitulistis, quibus ne septa cuiquam transgredi liceat, edicatur? nonne eos, qui transissent, quamvis Romanus quis esset, vobis necare permisimus?* Vid. Josephus Lib. 7. de bello Jud. cap. 4. Hæc quamvis maxima fuerit religionis libertas, nihilominus felicitati Romani Imperii nihil derogare potuit, adeo, ut ipsi Romani de sui imperii amplitudine gloriarentur teste Arnobio in initio Libr. 3 contra gentes. Et cum hac libertate abusi Judæi Romanis sese opponerent facillimè præeunte prudentia politica compesci poterunt.

§. XVI.

Postquam autem Imperatores Romani tolerantiam cum sævitia permutarunt, factum est, ut eorum imperium & religio decrescerent. Christianis enim libertas religionis adimebatur & furor Imperatorum in miseros Christianos effundebatur. Christianorum erat miserrimus status & conditio plane immerita, quam Ethnicorum oculis fuit Arnobius ita ad eos scribens: *vos ipsi, cum libido inceserit seva, exurit nos bonis, exterminatis patriis sedibus, irrogatis supplicia capitalia torquetis, dilaceratis, exuritis, & ad extremum nos feris & belluarum laniationibus obiectatis?* Lib. I. adversus Gentes p. m. 19. Et Ecclesia Gallicana conueritur, quod ad religionem Ethnicam cogatur: *Vociferationibus, plagis, violentis tractibus, lapidum projectionibus, carceribus; compedibus, cathedris ferreis, securibus, trabibus, tympanis, gladiis, veribus, stigmatibus & flagris* apud Euseb. Lib. 5. Hist. Eccles. cap. 1. Sed hæc violentia ipsius eruditioribus gentilibus displicuit, quia omnis mali causam fore præfagebant. Exprobrabat hoc ipsis Tertullianus in Apolog. cap. 5. scribens. *Tales semper nobis insecutores, injusti, impii, turpes, quos & ipsi damnare consuevistis, & à quibus damnatos restituere soliti estis.* Ipse Plinius in Epist. ad Imperatorem Trajanum per scripta hanc coactionem dissuasit, tanquam minus commodam: cui Trajanus in Epistola ad Plinium data respondit: *Genus Christianorum inquirendum quidem non esse, oblatos autem puniri oportere,* teste Tertulliano l. c. cap. 2. Ex quibus patet Trajanum ratio-

nibus

nibus politicis Plinii permotum de pristina sævitia aliquantulum remisisse. Subsequentes autem Imperatores dum sævitiam magis magisque adhuc extendere laborarunt, felicitatem & religionem Romanam enervari, propriam etiam ignominiam attrahi senserunt. Id quod tempora potissimum Maximini sævissimi Christianæ religionis destructoris luculenter declararunt. Nam Maximino è medio sublato religio Christiana prævalere cœpit. Maximinus etiam primus ab Imperatoribus omnium hostilissimus, impiissimus, ignominiosissimus ac DEO supra modum invisus Tyrannus publicis edictis declaratus est. Et quæcunque literarum monumenta in illius ac liberorum ejus honorem per singulas civitates prostabant, è sublimi ad pavementum dejecta protritaque sunt, obscuro colore obducta & denigrata, ut publico aspectui facta sint inutilia; consimiliter & statuae quotquot in honorem illius fuerant erectæ, eodem modo dejectæ & protritæ, risuique, & illusioni illorum, qui eas ignominia & ludibrio afficere volebant, expositæ sunt. Deinde & cognati Tyranni, qui antea per insolentiam cunctos mortales & liberi Maximini quos jam imperialis honoris tabularumque & insigniam publicorum socios reddiderat, supplicia cum extrema ignominia sunt perpeffi prout testatur Eusebius Lib. 10. Hist. Eccles. cap. 17.

§. XVII.

Religio etiam pagana, quæ profundas & latè serpentes radices egerat, hac coactione eradicata est. *Olim quidem ubique Delphica, Dodonæa, Bœotica, Lycia, Ægyptiacæ, Calyrorum oracula imposturis vaticiniorum scatebant, Pythica apud homines in admiratione erant,* ait Athanasius in Orat. de incarnat. Verbi; sed postquam Imperatores Ethnici ferro & flammis religionem Christianam extirpare instituerunt, factum est, ut vesaniæ Ethnicæ desinerent, nec superesset ullus fatidicus. *Nulla itaque divinationes ad Castalias aquas, nulla ad Colophonium fontem, nihil loquitur vulgatissima illa quercus, sed tacet Jupiter Dodonæus, Colophonius, Apollo, Delius, Pythius, Clarius, Dodonæus, Silentium est in Lebadia, & in Trophonii antro, obmutuit & Ammonis oraculum; cessavit etiam illa Chaldaorum ac Tyrrhenorum per mortuos divinatio,* inquit Theodoretus Lib. 10. de curandis Græcorum affectionibus. En quid profecerit Ethnicorum cruenta ad paganismum coactio! Sed perpendamus etiam an Juliani Apostatæ violentia feliciores progressus fecerit. Summo odio Christianos prosequeretur & cavillabatur: *Galilæorum* (Christianos intelligit hoc nomine) *sectam esse commentum malitiosè confictum, quæ nihil quidem divini habeat, sed fabulis addicta, & puerili & stolidæ animi parte abusa, prodigiosas narrationes in veritatis testimonium adduxerit* apud Cyrillum Alexandr. Lib. 2. contra Julianum f. m. 39. Præterea ut tanto commodius Christianorum religionem everteret, Christianis interdixit, ne in scholis Rhetoricorum & Philosophorum scripta legerent, inquebat enim: *Nostrorum Scriptorum armis Christiani instructi bellum contra nos gerunt* teste Theodoro Lib. 3. Hist. Eccles. cap. 8. Suis etiam militibus liberè Christianos necare permisit, hanc vocem in ore habens. *Quid grave si manus una gentilis decem Galilæos interfecit.* Vid. Gregor. Nazianz. Orat. 1. contra Julian. p. m. 76. Insuper variis modis tum clandestinis tum manifestis & violentis Ecclesiam turbavit, ut legere est apud Sozomenum Lib. 5. Hist. Eccles. cap. 5. Sed neque hic callidus & violentus religionis Christianæ oppressor, sui voti compos fieri potuit, sed postquam cruenta morte obiit cum eo paganismus con-

sepe-

sepeliebatur. Ex collatione ergo imperii Romani tempore libertatis in religione concessæ & coactionis introductæ patebit: tempora libertatis Romanæ felicitati: tempora autem coactionis subsequenter malis & Reipubl. decrementis originem dedisse.

§. XVIII.

Regnum Turcicum diversitate religionum præ aliis regionibus abundat: sedem suam ibidem habent Gentiles Idololatæ, Persæ, Judæi, Georgiani, Circassii, Mengrelia, Cophtitæ, Abyssini, Armenii, Maronitæ, Melchitæ, Jacobitæ, Nestoriani, Græci, Moscovitæ, Lutherani, Reformati, Sociniani & Papicolæ & alii vix nomine noti. Hi omnes suam religionem servant: *Turca quippe, pacto tributo contentus, modo Mahumedana Secta non contradicant, libertatem religionis permittit*, scribit Brerovodus in scrutinio Religion. pag. 5. Hinc fidem Christianam profiteri tutò licet Vid. Hottingerus lib. 2. Hist Orient. cap. 2. Memorabile est, quod de Turcarum Imperatore Solimanno ex Leuencclajo Camerarius refert, eum talia protulisse: *Quemadmodum varietas herbarum non solum nihil obest, sed mirifice oculos & sensus recreat, sic in imperio meo diversa fides & religio potius usui est, quam oneri, modo pacate vivant*, Part. I. Succis. Cap. 58. Quamvis ergo hæc tolerantia diversissimarum religionum in Imperio Turcico obtineat, ex ea tamen illud non coarctatur, sed manet amplissimum & per tres mundi dispersum partes. Coarctaretur autem quam maxime si Imperator Turcicus harum religionum aut expulsionem aut violentam coactionem meditaretur, qualem coarctationem & quam plurima incommoda ex hac ad religionem coactione rebus publicis quondam florentissimis obtigisse superius percepimus. Præstat ergo si in Reipubl. una vigeat religio, illam conservare puram, & ne aliæ radices figant, permittere; si vero plures jam receptæ sint & fixæ hæreant, illas tolerare quam violentâ coactione Reipubl. Sanitatem & prosperitatem certissimo periculo subicere.

TANTUM.



coll. diss. A. 40, misc. 60